
4080.

IR

Gratulationes in honorem D. Jonae Jacobi Coronensis scriptae ab Amicis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Hielmst. 4080 4° DA box

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Gratulationes
IN HONOREM

ORNATISSIMI ET DOctiſſimi viri D. Ionæ Iacobi Coronenſis Dani, cùm ei vnà cum 32. honeſtis & doctis viris in celeberrima Vitebergenſium Academia ſummus in Philoſophia gradus decerneretur.

alias Venuſini

Ad 5. Iduum VIIbris, Anno 1580.

SCRIPTAE

AB AMICIS.

VVITEBERGAE,

Excudebant hæredes Iohannis Cratonis.

ANNO M. D. LXXX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

CARMEN ELEGIACVM M. SIMONIS BLESSII PARTHENOPOLITANI, ſcriptum ad eruditiſsimum Ionam Iacobum Coronenſem, amicum & conuictorem ſuauiſsimum.

PRodyt æſtiui quæ ſignat corda Leonis
Tecta prius Phœbi regia ſtella face.
Arctôis monet illa agros albeſcere paſsim,
Lætaq́; frugifera tempora meſsis agi.
Bacchus & alma Ceres larga ſua munera dextra
Diffundunt laſsis præmia ruricolis.
Porrigit aureolos proles Semelëia botros
Et nitidas fruges porrigit alma Ceres.
Vtq́; fauent iſtis hæc ruſtica numina rebus,
Farre nouo vt replent horrea, vaſa mero:
Sic quoque luſtrat agros, ſacro qui germine florent,
Sic quoq; agit meſſem Dia Minerua ſuam.
Dia Minerua ſuis, pueros quos ſeuer..t hortis
Incrementa quibus Caſtalis vnda dedit:
Non veſtire ſolum, nec ſpe nutrire colonum
Hos voluit, meſsis, ſed mihi, dixit, erunt:
Miſsis opima mihi, & ſacris gratiſsima Muſis
Aurea Leucadio Meſsis opima Deo.
Ergo Pierÿs comitata & Apolline, pergit
Falciferam in ſegetes mittere Diua manum.
Amplaq́; maturas coaceruat in horrea fruges,
Verùm immaturis horrea nulla patent.
Dum mihi Leucoreis conceſſa morarier agris
Copia, ſpectator, meſsis & huius eram.
Feruet opus paſsimq́; ſeges deſecta per agros
Muſarum cecidit luxurioſa manu.

Hic turba ex reliqua ſecretum Pallada vidi,
Te quoq; honorifico conſtituiſſe loco.
Ergo tuæ patriæ qui ſpes induſtrius amplas
Moribus, ingenio, ſedulitate dabas:
Perge bonis auibus, magnis innitier auſis:
Perge, dabit cœptis proſpera fata DEVS.
Inclyta iure ſuo ſibi patria vendicat, in te
Quidquid doctrinæ eſt, quidquid & ingenij.
Fœlix quando ſua non ſpe fruſtratur, at vltra
Expectare ſibi quàm fuit auſa refert.
Gratulor ergo tibi ex animo ſuauiſsime IONA,
Gratulor & patriæ terq; quaterq; tuæ.
Egregijs ſiquidem te lætor honoribus auctum
Ingenij propter maxima dona tui.
At Regum quamuis nolint facta inclyta noſtri
Iudicij, & nequeant, ſubdier arbitrio:
Attamen & Phœbum & Muſas me iudice dignum eſt,
Gratari facto Rex FRIDERICE tuo.
Quos tu nimirum æternas ſibi figere ſedes
Vndiq; clementer per tua regna facis.
Scilicet ingenuas, tua dextra fideliter artes
Efficit, æterna vt ſede manere queant.
Dum fauet ingenijs felicibus: inclyta quorum
Egregiam deinceps patria poſcet opem.
Sic ornare meum nuper dignatus IONAM
Subſidij fueras vberioris ope.
Et niſi me fallunt, præſagia multa, videntur
Collata in magnum tot benefacta virum.
Nobis ingenij fœlicia ſigna ſagacis
Doctrinæ & ſpecimen qui dedit eximiæ,
Quem deinceps ſolito ſi complecteris amore,
Regno te credas conſuluiſſe tuo.
Verùm ad te redeo mi Iona, vnumq; monebo,
(Me monitore etſi non opus eſſe ſciam)

Eſt

Eſto tui patriæq́; memor chariq́; parentis,
Sic cœptum in ſtudijs continuabis iter.
Nil vltra moneo niſi quod te viuere multos
Et lætos cupiam, dulcis amice, dies.

ALIVD M. ANDREÆ BENEDICTI Dallini, in gratiam & honorem doctiſsimi M. I. I. C. amici & quondam condiſcipuli ſuauiſsimi, exaratum.

MVlta quidem ſtupido langueſcit turba veterno,
Quæ nullum ignauo pectore verſat opus.
Nempe quòd aſsiduos fugiat malè ſana labores,
Queis ſine quid magnum tempora nulla dabunt:
Sed tamen eſt hominum melior pars altera: nullum
Pectore quæ inuicto ferre recuſat onus.
Nil ea non clarum, non magnum ferre laborat:
Rebus ea eſt tantùm dedita & apta bonis.
Huic generi eximios omnis tribuebat honores
AEtas, & geſtis præmia digna dabat.
Quin etiam illa Dei lex eſt & ſancta voluntas,
Qui manet immotæ regula iuſticiæ,
Virtutis iuncto comes vt ſit gloria paſſu:
Et vitijs detur pœna cruenta malis.
Hinc fit vt eximia qui ſit virtute beatus,
Qui ſtudijs alios vincere, & arte, queat;
Summa petat, viliſq́; excedens culmina nidi
Aſpiciat tardum poſt ſua terga gregem.
Sic qui fulmineis acer pugnarit in armis,
Hoſtibus & fuerit vaſta ruina ſuis:
Cæſaris aut ſummo vocitatur nomine: regni
Dextra ſuſcipiens aurea ſceptra manu:
Indutus rigidam frontem diadema ſuperbum
Conſpicui celſum nomen honoris habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Aut Dux armigeris mandata dat ille maniplis,
Vt firma cunctos in ſtatioue locet.
Aut alia illuſtris recipit donaria facti:
Nam poſcunt ſummos fortiter acta gradus,
Sic quoq; Muſarum fuerint qui caſtra ſecuti
Fortiter, impauidis peruia caſtra viris:
Eximijs meritò celebrantur laudibus omnes,
Dignaq; pro ſtudijs præmia iure petunt.
Talia nec nocuum perfregit pectora vinum,
Nec Venus officijs inſidioſa ſuis:
Frigora non hyemis, neq; torrens ſolibus æſtas
Nec perdifficilis magna pericla viæ.
Non vlli à ſtudijs poterant reuocaſſe labores,
Quin cuperent curſus continuare bonos.
Aut virtutis erunt fruſtranea nomina priſcæ,
Aut veniunt tantis præmia larga viris.
Hoc quoq; Leucorides mihi reſpexiſſe videntur
Muſa: Pierij numina caſta chori:
Noſtri dum Ionæ non contempſere labores,
Gnauiter in ſtudijs quos tulit ille bonis.
Nam puer ingenuis incumbens artibus, ampli
Profectus ſemper proſpera ſigna dedit:
Schanica cum pariter nos illa CORONA foueret,
Caſtalijq; vndas fontis vtriq; daret.
Regia poſt DANI veniens ad caſtra, feraci
Conſocios ſtudio vicit, & ingenio.
In pueris adeò verum eſt emergere, quid ſit
In creſcente boni pectore, quidue mali.
Mox ſibi Doctorum caſtum cumulauit amorem,
Qui ſolet ad Muſas proximus eſſe gradus.
Poſt paulò ſtudijs aptus grauioribus, altum
Pectore conſtituit, poſtq; peregit, iter.
Primùm adeunda ſibi delegit celſa ROSARVM
Mœnia: Pegaſides quem coluere locum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Excoluere locum diſcendis artibus aptum,
Vnde ibi Doctorum ſedula turba viget.
Temporis hic aliquid linguis tribuebat, eaſq;
Coniunxit ſpatio perdidicitq; breui.
Naturæ aggreſſus poſt hæc myſteria, totum
Percurrit Sophiæ non ſine fruge, cyclum.
Sed quia non ſolum ſapientem ſcribere multa,
Multorumue domi voluere ſcripta facit.
Si peregrinarum non experientia rerum
Artibus accedat dulcis amica bonis:
Poſtquam fœlicus luſtrauerat arua Bohemi,
Auſtriacæ ingreditur tecta ſuperba domus.
Tranſit & Vngariam, quouis ſplendore beatam,
Ni foret heu Turcæ præda dolenda truci.
Italiæ ancipiti transgreſſus limina curſu,
Magna tulit dubiæ duraq; damna viæ.
Hinc vbi iam notas eſſet rediturus in oras,
Viſeret vt cathedram Leucoris alma tuam.
Quos didicit mores hominum? quæ regna, quot vrbes
Perſpexit? montes, flumina, ſtagna, lacus?
Plura tamen variæ vidit Collegia gentis,
Hæc fuerant ſtudijs quòd magis apta ſuis.
In primis doctos homines, rerumq; peritos,
Atq; pios fuerat viſere cura ſenes.
Quorum diuinas poſſet perdiſcere gnomas.
Moribus & deinceps cultior eſſe bonis.
Quæ cum difficili ſuperaſſet cuncta labore,
Leucoreas redijt lætus ouanſq; domos:
Eſt vbi Laurigeris ſedes celeberrima Muſis:
Eſt vbi Mæonio manſio digna choro.
Huc rediens Muſis factus dulciſſimus hoſpes:
Excipiunt feſſum numina namq; loci,
Hoſpitis & cingunt victrici tempora lauro,
Dicentes: noſtris tu quoq; creſce bonis.

Paulo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Paulo pòſt ſolito vocitant de more MAGISTRVM,
Ducuntq́; ad ſummos non ſine laude gradus.
Ducitur ad ſummos IONAS IACOBVS honores,
Præmiaq́; aſsiduo parta labore capit.
Ergo tam dulci meritò gaudebis alumno,
Et pandes vultus læta CORONA tuos:
Et ſimiles crebro pergas producere fructus,
Sic fœcunda tibi grataq́; meſsis erit.
Tuq́; mihi à teneris ſemper iunctiſsime IONA,
Qua modò cœpiſti currere perge via.
Viue DEO charus ſummo, patriæq́; ſuperſtes
AEquo animo ſortem ferre memento tuam.
ANDREAMq́; tuum BENEDICTVM dilige porrò
Conatusq́; bonos conſule quæſo boni.

ALIVD SAPPHICVM.

HIc quis eſt pulcher comitatus? aut quid
Virginum cantans ſibi vult caterua,
Docte, te circum glomerata, IONA,
Ordine feſto?
Tuq́; quid lætus medius per illas
Greſsibus tranſis, nitidoq́; cultu
Emines? victrix tibi cùrve cingit
Tempora Laurus?
Iſte mos caſtas iuuat, heus, Sorores,
Editas ſumma Iouis arce, ducant
Sic ſuos ciues, meritaq́; dignos
Laude coronent.
Scilicet Muſæ celebrant alumnum
Te ſuum, Muſæ quibus alma ſedem
Leucoris præbet, coluiſſe quarum
Tecta ſolebas:
Atque Victori tibi gratulando,
Militem fortem velut his ouantes

Plauſibus

Plauſibus circum venerantur, hæcq;
Præmia reddunt.
Nam ſacer tantum Chorus iſta gnaris
Praſtat, & poſtquam tulerint labores
Suſcipit; longè ſimul & peroſos
Pellit inertes.
Caſta nec, Phœbo quia ſacra, Laurus
Arte Phœbæa niſi danda claris;
Aut quibus factis peperit Triumphum
Inclyta virtus.
Cuncta ſecretis Sophiæ repoſta
Peruigil ſcrutatus es: haud quieuit
Mens prius ſummum tua quam videret
Culmen honoris.
Quis modus linguæ Solymæ loquendo;
Graia quos flexus habeat vagantes;
Sermo quid tandem Latius requirat,
Singula noſti.
Diſſerat qua quis bene vimq; calles;
Ore dicendum ſit vti diſerto
Cognitum, vel qua moueatur arte
Inſcia turba.
Legibus quin & moduli canori
Temperent cantum quibus; atq; ritè
Supputent vſi numeris, tenaci
Mente notaſti.
Notus eſt Terræ ſpatijs figuram
Metiens certis radius; Polumq;
Lucidum ſcis, quem teneantq; clara
Sidera curſum.
Adde Naturæ didiciſſe vires
Abditas; ſanctis ſtuduiſſe vitæ
Moribus dudum tua cura; non hæc
Munera digna?
B Duceris

Duceris ſic nunc meritò decorus,
Lauream tantus capis & coronam,
Nunc datur laudis titulus. vocari
Diſce MAGISTER.
Iam dies lætos age, ſparge flores;
Iam Lyram gaudens Citharamq́; pulſa,
Iam faue linguis animisq́;, vere
SCANIA *felix.*
En CORONENSIS *graditur coronæ*
Nunc tuus IONAS *redimitus; atq;*
Gloriæ famam tibi fert perennem,
Dotibus amplis.
Te ferax tellus, & opes amœnam
Voce compellant patria; ſed illo
Addit & maius decus, & nitorem,
Gignere doctos.
Perge, da plures alios ſerenæ
Indolis; gratus labor hic Camœnis
Penditur; tales ſibi vult dicari
Ipſa Mineruæ.
Par ſit vbertas, onerare frugum
Copia campos patulos; & ortu
Mente, doctrinaq́; perinde magnos
Edere fœtus.
Hinc erit fructus geminus: videbunt
Numinis purum tua templa cultum,
Semper inſignis per & ipſa viues
Scripta Nepotum.

Iohannes Galbinus Bernas
Caſtrouillanus.

ALIVD

D*iuerſis homines ſtudijs rebusq́; tenentur,*
Quemq; ſuus vitæ finis & ardor habet.

Hic

Hic denſos nemorum ſaltus indagine luſtrat,
Vt ſæuos nitida cuſpide figat apros:
Ille ſequi gaudet validas in prælia turmas,
Et dare terribili fortia membra neci:
Vt cùm Marte bono fuerit victoria parta,
Cincta triumphali tempora fronde gerat.
Sic quoq; mercator, cui ſola pecunia curæ eſt,
Quæ Borea leuior nullibi certa manet,
Nunc ad hyperboreum currit pedes impiger axem,
Præcipitans agiles ſaxa per alta gradus:
Nunc rate veliuola rapidi ſecat æquora ponti,
Haud metuens ventos diraq; fata ſali.
Sic tenet Agricolam ruris ſua cura paterni,
Sedulus & curuo vomere vertit humum:
Nempe ſuam vt poßit vitam defendere inertem,
Et parto crudam farre leuare famem.
Sed quos Palladias ſacras ſudaſſe per artes
Iuuit, vt applauſus ex Helicone petant:
Corporis his robur non exercere neceſſe eſt,
Aut opere inſuetas obriguiſſe manus:
Verùm animi vires ſtudium & doctrina requirunt,
Parnaßi vt vincant compita longa iugi.
Sunt tamen haud vigiles animi ſine fruge labores,
Namq; corona viris arte parata datur.
Qualem Theſpiades Clarijs fecêre ſub oris,
Fons vbi ſacratus pulchra vireta rigat.
Scilicet ingenium digni comitantur honores,
Grata dat ingenuis præmia Apollo viris.
Tu quoq; Pieridum cultor, doctißime IONA,
O decus & patrij gloria magna ſoli.
Ingenium claris mirè Virtutibus ornas,
Et cupis æternum com meruiſſe decus.
Dum non deſidiæ vixiſti deditus, vnquam
Ocia nec cordi lenta fuêre tibi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Sed potius tua cura fuit, tua ſumma voluptas,
Inter Laurigeras nomen habere Deas.
Ac ſtudijs multos traducere mollibus annos,
Hic vbi Leucoreos irrigat Albis agros.
Ergo tibi ALBIACAE, dulciſsima numina, MVSAE,
Præmia pro duro grata labore ferunt.
Præmia virtutis quæ ſunt vigiliſq́ laboris,
Et quibus æternæ copia laudis ineſt.
Dum iam Phœbæa redimitus tempora lauro,
Iurè potes docti nomen habere viri.
Dumq́ datur tibi ius æqua ratione docendi,
Quo nullum eſt vita grandius huius opus.
Annulus atq́ ambit digitos dum ſplendidus auro,
Quem virtute ſolet ferre probatus eques.
Ac tibi præfertur fax cerea: pectora veſtra
Vt verò flagrent ſemper amore DEI.
O nimium felix, ò terq́ quaterq́ beatus,
Cui tribuit mitis talia fata DEVS.
Tramite nam facili ſtudiorum ritè peracto,
Cuncta vt ſuccedant ad tua vota vides.
Ergò nouos meritò, præclare MAGISTER, honores,
Ex animo & læto gratulor ore tibi.
Ac precibus ſummi rectorem obteſtor Olympi,
Vt poſsis tanto ſoſpes honore frui.
Ipſe regat ſancto ſtudiorum flamine curſus,
Et tribuat menti ſplendida dona tuæ.
Sic multum facias fructum, duce & auſpice Chriſto,
Sic poteris patriæ conſuluiſſe tuæ:
Seu teneræ pubis conamina prima gubernes,
Artis & ingenij dexteritate tui:
Seu populum paſcas cœleſtis ſemine verbi,
Et doceas purè dogmata ſacra DEI.
Macte tuis igitur virtutibus, optime IONA,
Perge ita nec cœpta dimoueare via.

Poſtmodò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

Poſtmodò te maior laus & fortuna ſequetur,
Et tibi cum Muſis fama perennis erit.
Quod ſupereſt, felix ſeros in NESTORIS annos
Viuito, VVORHMAERI tempus in omne memor.

Jacobus Chriſtianus VVorhmærus Danus. F.

ALIVD.

EST etiam noſtras, dulciſsime amice, Camœnas
Fas ſeruire tibi, laudibus atq; tuis.
Namq; tua eſt teneris mihi virtus cognita ab annis,
Nota quoq; ingenij ſunt mihi dona tui.
Scilicet in Clarijs puero mihi contigit hortis
Te ſocio, flores carpere odoriferos:
Nam memor es, niſi me fallit ſententia, pacto
Quo nobis primum cœpit amicitia,
Vrbs tibi nota quidem gelidis vberrima lymphis,
Regis ab antiqui nomine dicta RHOAE.
Sola hæc in Danis caput extulit vrbibus olim:
Nunc etiam eſt doctis nobilitata viris,
Illuc fortunante Deo conuenimus, huius
Vrbis & hoſpitio fretus vterq; fuit.
Hic te adeò puerum puer ad mirabar, & arcto
Exinde amplexus ſemper amore fui.
Tùm ſiquidem dederas raræ virtutis, & alti
Confeſtim ingenij proſpera ſigna tui.
Noſter amor, quanquam puerili cœperit æſtu,
Perpetuò conſtans huc tamen vſq; manet.
Ergo quod tua vel virtus ſpectata meretur,
Vel noſtræ ſuadet pignus amicitiæ:
Eximios Iona ex animo tibi grator honores.
Quos tibi Pierides Phœbus & ipſe tulit.
Gaudeo & exhauſtos inuicta mente labores
Præmia iam tandem digna tuliſſe tibi.

Præmia magna quidem ſed non indebita, magnos
Namq́; decent merito præmia magna viros.
Me patiare tibi quod ſentio dicere, at iſta
Ne conficta tuis auribus eſſe putes.
Qui te ſuſpexi puerum (maturior ætas
Iam mihi cenſura dexteriore venit.)
Omnia ſumma tibi Diuûm conceſſa fauore,
Spectetur virtus ingeniumue, reor.
Mores ingenui, & doctæ facundia linguæ
Eximijs gratum te facit eſſe viris.
Quin etiam Pietas tua te commendat, & vni
Prima tibi cura eſt poſſe placere Deo.
Perge igitur claris virtutem extendere factis,
Et ſerua illapſum pectore & ore Deum.
Noſtra etiam multos, quæ durauere per annos
In Pylios viuant fœdera firma dies.
Sintq́; licet paruæ nobis in carmina vires,
Nec quadret Muſis noſtra Minerua tuis,
Non tamen egregij laudes morientur amici,
Dum mea vitalis ſpiritus oſſa regat.

Iohannes Paludanus Collingenſis Danus. F.

ALIVD.

SIcut olympiaca ſolitus certare Palæſtra
Roboris inuicti præmia digna petit,
Præmia ſic quoq; Pieridum qui certat in armis
Artis & ingenij nobilioris habet.
Lucta eſt crede mihi, Muſis certare, Deoq́;:
Lucta ſed ignauos non decet iſta viros,
Namq́; hoſtes qui Marte ſolent inuadere aperto,
Caſtra, labor forti vincere nullus erit:
Inſidijs alij gaudent, dulciq́; veneno,
Incautosq́; ſolent perdere ſæpæ viros.
Otia, doctrinæ perſuaſio falſa, tepensq́;
Pluma, ſodalitium, balnea, Vina, Venus.

Hæc

Hæc cauiſſe decet ſummo conamine cunctos,
Neue dolis capiant turpiter illa ſuis.
Has etiam fraudes, ſemper doctiſsime Iona
Ingenio & vigili ſedulitate caues:
Ergo nec immeritò victricis præmia palmæ
Victor habes: habeat, qui ſine fraude petit.

Daniel Schelderup. F.

ALIVD HEROICVM.

I ona Caſtalias inter nutrite ſorores:
O magnum patriæ decus & ſpes ampla tuorum.
N uper ad herboſas quem vidimus Albidos vndas
AE giſonæ admiſſum celſas in Palladis Arces,
I nclytaq; Aonidas victricis premia palmæ
A ttribuiſſe tibi æternos manſura per annos.
C ui doctrina graui longoq; eſt parta labore,
O mnigenas verſata hominum doctrina per artes:
B arbariem cuius mores menſq; horret vt vmbras
O rci terrificas: gnaro prudentia ab vſu
C ui ſortem præter iuuenilis creuerat æui.
O quàm te merito Muſæ dignantur honore.
R eſtat vt exornes nomen tituloſq; ſuperbos,
O ptima dum facias doceaſq; & peſsima vites.
N ec patiare tuos recto de tramite greſſus
E nerui flecti illecebra, fucoq; doloſo.
N eue animo dubijs vnquam frangare periclis
S ic tua, ne dubita, cœlo ſe gloria tollet
I nnumeros victura dies, cui nulla neq; ignis
A ut vis vndarum poterit violenta nocere.
M acte animo, & virtute pari, cariſsime Muſis
I ona, quod facis, hunc vnum ſecteris honorem
Chriſto operam patriæq; tuæ præſtando fidelem,
O ptima ſic credas te gnauiter eſſe ſecutum,

Chriſtophorus Ortlebius Stoeſenſis
amicitiæ ergò faciebat.

IONAS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

IONAS IACOBVS CORONENSIS AMICIS SIBI GRATVlantibus. S.

ECquid in Aonia me deſudaſſe Palæſtra
Pœniteat? certe pœnituiſſe nequit:
Cynthius in medium certatæ præſes arenæ
Aurea Vincenti præmia propoſuit.
Vici ego, Cenſura ſi quid mihi credere Veſtræ
Fas ſiet, & luctæ præmia iure peto:
Iure petam nec ne; quidquid tribuiſtis amico
Laudis, id omne Volo detur amicitiæ.
Nam proprio me quantumuis pede metiar, & quàm
Non iſto fuerim dignus honore ſciam.
Carmina Veſtra tamen mirum ſpirantia amorem
Sæpe lego, atq; habeo quo decet illa loco:
Quod ſtimulos animis acres ceſſantibus addant,
Officij & faciant me meminiſſe mei.
Vos tantum, o animi, Clario permixta liquore
Vena quibus lympha diuitiore fluit.
Pergite, me monitore, auſis innitier amplis,
Detis Vt Aonia carmina digna cheli:
Carmina digna legi, quod iam feciſtis, at illa
Fortè dabunt Vita perpete poſſe frui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]

4080.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4080 4° [44,-116]